



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXIX. De signo Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

cap. 2. hist. Angl. per ligneam crucem, ob Osvaldo Rege sancto erectam, ac illud omnium primum, quod ipse cum paucis contra innumerabiles hostes pugnavit, & vicit.

Argumentum VLTIMUM à ratione. Nam si signa rerum sanctarum sancta & venerabilia sunt, vt supra ostendimus: certè quælibet crux sancta & venerabilis est, quia gerit imaginem Christi crucifixi, id est, Christi in ipso opere redemptionis occupati, quo nihil sanctius cogitari potest.

CAPVT XXIX.

De signo Crucis.

RESTAT signum crucis, quod in fronte, vel in aëre pingitur, vel super quascunq; res digito exprimitur. Quod signum sacrū esse & venerabile, PRIMO ostendi potest ex figuris Testamenti veteris. Nam sanguis agni in postibus domorum, de quo Exodus 12. nihil aliud significabat, nisi signum crucis in frontibus Christianorum, Augustino teste in libro de catechizandis rudibus, cap. 20. Item illud Tau, quod Ezechielis, cap. 9. iubetur describi in frontibus gementium, apertissimè signū crucis, quod in fronte potissimū pingimus, indicabat, teste Cypriano in libro aduersus Demetrianum, & Hieronymo in commentario Ezechielis. His adde illud Apocal. 14. *Habentes nomen eius, & nomen Patris eius in frontibus suis*; id est, signum crucis. Item illud Apocal. 7. *Nolite nocere terra, & mari, neq; arboribus, quoadusq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Hoc enim signum, esse signum crucis, docent Oecumenius, Beda, Anselmus & Rupertus in hunc locum, Iacob quoq; cum cancellatis manibus benedixit filiis Ioseph Gen. 48. significauit, fore aliquando tempus, quo benedictiones signo crucis fierent.

SECUNDO, probatur ex testimoniis veterum, qui primis quingentis annis floruerunt. Dionysius cap. 4. 5. & 6. Ecclesiast. hierar. dicit, in omnibus Sacramentis adhiberi signum crucis. Iustinus quæst. 118. respondet Gentibus quærentibus, cur Christiani ad Orientem orarent: & dicit, causam esse, quia Deo danda sunt meliora: *Sicut etiā, inquit, dextera potius*

etius, quàm sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus, Hippolytus quidam scriptor vetustissimus, & Apostolis familiaris, cuius librum citat Palladius in historia Lausiaca, cap. 148. scribit, virginem quandam signo crucis munitam ex prostibulo illæsam euasisse.

TERTULLIANVS ita loquitur lib. de corona militis *Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad Vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quacunque nos conuocari exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Idem habet lib. ad uxorem, & in principio Scorpiaci.

CYPRIVS lib. 4. epist. 6. in fine: *Muniatur frons, signum Dei incoluere seruetur.* Et libro de unitate Ecclesie, contra medium, dicit, Oziam lepra in fronte percussum, offero so Domino, in qua parte corporis signantur, qui Dominum promerentur. Et libro de lapsis, in principio: *Frons eius signo Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit, corona se Domini reseruauit.*

Cornelius Papa in epist. ad Fabianum, quæ est apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 33. dicit, Nouatianum à Dæmonio acceptum, quòd non recepisset in fronte signaculum Christi.

ORIGENES Exodi cap. 15. homil. 6. sic ait: *Timor & tremor cadunt super eos (Dæmones) cum signum in vobis videtur crucis fideliter fixum, &c.* Gregorium Neocæsariensem sic pe vsus signo crucis contra Dæmones, testatur Gregorius Nyssenus in eius vita. Lactantius lib. 4. cap. 26. dicit, Christum eis omnibus prodesse, qui signum crucis in sua fronte conscripserint.

CYRILLVS catechesi 4. *Non pudeat, inquit, nos crucem Christi. quòd si aliquis id occultet, tu manifestè signate crucem in fronte.* Et infra: *Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa in omni negotio.* Idem repetit catechesi 13.

ATHANASIVS lib. de incarnatione Verbi: *Signo crucis omnia magica, inquit, compefcuntur, &c.*

BASILIVS lib. de Spiritu sancto, cap. 37. inter primas apostolicas traditiones ponit, signare se signo crucis. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, dicit, etiam milites in mensa signum crucis adhibere solitos. Chrysostomus hom. 18.

in Matth. caput 12. signo crucis omnia Sacramēta perfici docet. Et homil. quòd Christus sit Deus, plurima de gloria huius signi, & eloquentissimè persequitur.

EPHRAEM lib. de pœnit. cap. 3. *Pingamus*, inquit, *in ianuis, atq; in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus suis sicum signi; armemur in superabili hac Christianorum armatura.* Item lib. de armatura spirituali, cap. 2. *Scuti vice crucis signo respsum muni; validissima enim armatura est.* B. Antonius, ut refert Athanasius in vita eiusdem Antonij, contra omnes terrores iubebat solo crucis signaculo tutos esse Monachos. Palladius in hist. Lausiaca, cap. 2. scribit, sanctum senem quēdam cū vidisset in puteo aspidem, signo crucis muniuisse puteum illum, ac deinde sine timore hausisse aquam, & bibisse. Theodoretus in hist. religiosa, passim meminit crucis, & virtutis eius.

AMBROSIVS serm. 43. hortatur, ut omnia opera à signo crucis incipiamus. Et serm. 90. recitatur verba sanctæ Agnetis dicentis: *Posuit signum in faciem meam, et nullum prater eum amatorem admittam.* Id enim est signum crucis, quo dedicamur Deo.

HIERONYMVS in epist. ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, crebro signaculo crucis munitas frōtem tuam.* Item ad Eustochium: *Ad omnem incessum manus pingat Domini crucem.*

AVGVSTINVS tract. 118. in Ioan. ad finem: *Quid est, quod oēs nouerunt, signū Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentiū; siue ipsi aqua, qua regenerantur; siue oleo, quo Chrismate inunguntur; siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorū ritè perficitur.* Itē lib. 1. Confess. ca. 11. *Signabar iam signo crucis, & condiebar sale Christi tui.*

B. Martinus apud Sulpitiū: *Ego, inquit, signo crucis, nō clipeo protectus; aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.*

PRUDENTIVS in hymno ante somnum:

*Fac cum Vocante somno
Castum petis cubile
Frontem, locumq; cordis
Crucis figura signet.
CruX pellit omne crimen,
Fugiant cruceM tenebra,*

Tali dicata signo

Mens fluctuare nescit.

PAVLINVS natali 8. S. Felicis:

*Nos crucis inuicta signum, & confessio munit,
Armatiq; Deo mentem, non quarimus arma
Corporis, & quanquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.*

TERTIO, probatur ex miraculis signo crucis factis. Iulianus initio Scorpiaci dicit, Christianos signando, et adiurando non solum Christianis, sed etiam Ethnicis se prodesse. Lactantius lib. 4. cap. 27. dicit, praesente Christiano, qui crucem fronte signauerat, Diabolum non ausum Imperatori poscenti responsa dare. Epiphanius haeresi 30. scribit quendam Iosephum nondum Christianum signo crucis Demones expulisse, & deinde Christianum effectum eodem signo incantationes Iudaeorum destruxisse. Nazianzenus orat. 1. in Iulian. scribit, ipsum Iulianum, licet Ethnicum, etiam spectra quaedam videret, dum hecromantici sua mysteria operarentur, signo crucis seipsum munisse, & mox spectra omnia euanuisse. Nyssenus in vita Gregorij Thaumaturgi, scribit, Diaconum eius, signo crucis munitum, exiisse in actu incolumem ex balneis inter innumerabilia spectra, et quibus balneis nemo vnquam viuus exierat eorum, qui in actu intrauerant.

Athanasius in vita Antonij; Hieronymus in vita Pauli primi Eremitae, Theodoretus lib. 5. hist. cap. 21. & Gregorius lib. 3. Dial. cap. 7. multa scribunt miracula, quae ad solum crucis signum Deus fecit, ac potissimum in Daemonum expulsionibus. Palladius in hist. Lausiaca, cap. 54. scribit, quendam signo crucis munitum in medijs flammis longo tempore illa incolumem permanisse. Theodoretus in vita S. Iuliani, & in vita S. Macedonij, scribit, ab utroque suo tempore signo crucis ingeresse diaboles occisos. Item in vita S. Aphraatis, & S. Macedonij, & S. Petri, & aliorum, scribit, eos signo crucis varios morbos curasse. Quod idem Sulpitius in vita B. Martini; Hieronymus in vita Hilarionis; Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. similiter scribunt. Victor Vicensis lib. 2. de perseq. V. V. scribit, ab Eugenio Episcopo Catholico caecum illum.

eum solo crucis signo. Quòd si addere vellemus miracula edita post primos quingentos annos, quæ referuntur à probatis auctoribus de S. Benedicto, Bernardo, Francisco, & aliis, nunquam finiremus.

CAPVT XXX.

Soluuntur obiectiones hæreticorum.

HIS, quæ dicta sunt, facile erit obiectiones hæreticorum, supra notatas, soluere. Ad PRIMAM igitur, quæ sumebatur ex eo, quòd crux dolorem & ignominiam Christo attulit, respondemus, si solùm crux attulit Christo dolorem & ignominiam, meritò esse execrandam: atqui attulisse etiam lætitiã & gloriam, propter Diabolum deuictum, & genus humanum redemptum; quæ lætitiã & gloria tanta fuit, vt dolorem & ignominiam illam priorem planè absorberit, vt patet.

Ad SECUNDAM, quæ sumebatur à similitudine eorum, quorum parentes in patibulis perierunt, qui impij videntur, si eiusmodi patibula honorarent, dico illa non esse similia; nam qui nunc in patibulis suspenduntur ex sententia iudicis, culpa sua suspenduntur, aut vera, aut certè in iudicio legitimè probata; præterea inuicti suspenduntur; denique ex ipsa morte nihil lucrantur, nisi pœnam & infamiam. At Christus non propter culpam veram aut probatam crucifixus fuit. Constat enim ipsum iudicem sæpius testatum, se nullam in eo causam inuenisse. Ad hæc Christus sponte sua se tradidit crucifixoribus, vt Patris obedientiam impleret, cum alioqui posset euadere, si vellet, vt notum est: quia cum diceret; *Ego sum*, omnes eius inimici ceciderunt retrorsum. Denique, Christus ex ipsa morte plurima bona retulit, vt diximus, & sibi, & nobis. Neque id solùm in Christi morte videmus, sed etiam in mortibus aliorum, qui propter Deum, aut patriam occiduntur. amici enim libentissimè instrumenta passionis eorum tanquam monimenta virtutis conseruant.

Ad TERTIVM argumentum, quòd honorare crucem sic quasi lætari de morte Christi, quemadmodum inimici eius faciebant, dico, nos nihil cum hostibus CHRISTI habere commu-

commu-